

ERUDITIONIS

SCHOLASTICÆ

Tars

PRIMA,


13.274

VESTIBULVM,

RERUM & LINGUA

RUM FUNDAMENTA

E. v. Óholitsányi Zsédényi
exhibens.



Ex libris

ecclesie evang. Leutschoviensis

LEUTSCHOVIÆ;

Typis, LAURENTII BREVER,

Anno M. DC. LVII.



Senec. Quest. Natur. VII.
Cap. 31.

R E R U M natura sacra sua non
simul tradit. Initiatos nos
esse credimus, in Vestibulo
eius hæremus.



JOHANNES COMENIUS,
STEPHANO TOLNAI,

In Illustri Patakina, auspiciis Celsissim
ma Principis Transylvanae feliciter re-
formari capta Schola, renuntiato
Classis prime Praeceptoris
primo,

Salutem, & Divinam
Benedictionem !

Ergone sic fata tulerunt, mi Stephane;
ui Illustris hac, in desideratum melioris
Methodi ordinem redigi capta Scho-
la. Te primum ordinarium primæ suorum mi-
litiae salutet Ducem? Non in video debitum
Virtuti Tua honorem: ob quam tum Ipse ego,
Dei & Celsissimorum Principum voluntate
nuper hic delatus, TE inter primos amore
complecti capi; tum Alij, cum primæ huic
Classi idoneus quæreretur Moderator, unani-
miter in Te conjecterunt oculos, suffragisq;
suis hic promoverunt, ut angulares ponendi

(*) 2

Latia-

Latinitatis lapides Tibi demandanda vide-
retur provincia. Gratulare Tibi, amice,
de tot tamq; honestis de Te judiciis. Nec Te
quidquam moveat quod quibus sequentium
Curiarum committenda erit, cum Deo &
die, prefectura. Te ideo videbuntur altiores,
quia Discipulis à Te egressis altiora Scientia-
rum semina instillare debebunt. Tuum enim
Tibi nemo jam precipiet honorem, primum
Te hic meliori methodo Juventutis Forma-
torem fuisse salutatum: neq; post hac ad alias
Classes aditus, nisi per Tuam, patebit. Quin
& rem ipsam si intueamur, nihil est cur sibi
quisquam prima etatulae formator magis dis-
pliceat, aut illum insequentes sibi magis pla-
ceant, quam inter Opifices fieri consuevit:
dum alij Ædificio fundamenta ponunt, alij
fundamento parietes superstruunt, alij Con-
clavia exornant, alij demum fastigia impo-
nunt. Unum enim idemq; Opus agunt Omnes:
pariter de laude participatur, si pari diligen-
tia omnia sua peracturi. Neq; si concertamen
permittatur, determinare foret facile, utris
plus laudis aut præmij, primisne illis an ulte-
mis, debeatur: cum superiora plus quidem
apparentia, ad inferiora plus soliditatis, Ædi-

ficio conferant: usq; adeò, ut superiora illa si-
ne his inferioribus non essent; sineq; rectè po-
sit is illis, corruerent. Ut tandem ad inferiora
plus redeat laudis, quia plus usus: quippe que
suā vi stant, & superstructa sibi suo robore
sustentant: hec a. sustentantur tantummo-
dò, & quod habent aliunde habent. Nec est
in Bello, cur se inferiorem credat Legio, qua
in hostem immissa primum vim ejus infre-
git; præ Legionibus illis, quæ instando ple-
niū hostem prostraverunt: Victoriam, com-
munis est. Quinimò plus eorum laudari so-
let fortitudo, qui primò hostili robore fractō
hostem vinci posse fecerunt, quam qui debi-
litatum jam vicerunt. Nec inter nutriti-
va Corporis nostri membra (stringam id quoq;
obiter) ideo Bucca & Ventriculus Hepa-
ti, Linci, aliisq; interioribus, honore cedunt,
quod assumpta Alimenta illa quidem primum
excipiat, & dentibus conterat; Iste u. coque-
re, & per majora dividere, incipiat, hæc de-
mum pleniū concoquant, subtiliusq; digerant.
Nutritio siquidem una eademq; est, diversa,
sic diversorum membrorum operatione pera-
genda, ut aquæ necessaria omnia sint, nec pri-
oritatem alias preter temporis admittant.

ficio

(*) 3

Verum

Verum mittamus hoc: quod attingere non
ideò volui, quasi Te ambitiosum, & statione
quà Te divinae providentiae vis collocavit non
acquiescentem, suspicer: sed ut Tibi de his
honoris primitius gratuler: & imprudenti ali-
qui Spartam Tuam, apud Te vel apud se, ex-
nuandi occasionem praecidam.

Ad rem venio, ut Te hanc Tuam, quam
nactus es Spartam, ornare doceam. Feres n.
en hac palaestra novitius moneri confidenter,
quomodo solent ab Architecto, idearum Ædi-
ficij non ignaro, conducti Operarij. Leges
quidem Methodi generales alibi habes descri-
ptas, repeti eas hic nihil est necesse: necesse
de speciali prudentia, in Tuis hic specialibus
densis adhibenda, moneri.

Accipis Tu in Classim Tuam, (& accipies
post hac) primos Latinitatis tirones: legendi
quidem & scribendi vernacule non ignoratos.
nec tamen adhuc accurate habitum asservu-
tos. Hos igitur quoisq; deducere habeas,
& per quam viam, & quibus elegantibus
compendiis, non ignorandum Tibi est.

Scopus Vestibularis Tue Classis (ut n.
appellabimus) est; Præparare Latinitatis
Tirones ad Januā, & per hanc in, Atrium

Latini-

Latinitatis ita ingrediendum; ut hoc
ipsum Latinitatis studium toti Sapien-
tiæ Studiorum cursui felicius absolven-
do potenter serviat. Cujus preparationis
septem sunt veluti gradus.

1. Latina omnia (typis & manuscriptis)
legere posse promptè, sine habitatione illa.

2. Pronuntiare omnia rectè & articu-
latè, citra Accentum corruptelam, & Lite-
rarum absorbtionem.

3. Scribere quoq; manu promptâ, &
characteribus quam potest pulchris, indistor-
tis, mutuò non implicatis, sed undiq; distinctis
ac legibilibus. Quales cùm tui sint, idèò
etiam Te huic elegimus, ut multos reddas tuū
simillimos.

4. Ediscere lingvæ Latinæ Radices²,
rectè intellectas, recteq; rebus suis appli-
catas.

5. Addiscere his respondentes Voces
Vernaculae: applicandas itidem rectè, tūm
Latinis vocibus, tūm Rebus ipsis.

6. Declinare & Conjugare omnia analogæ
exactè.

7. Et quia Libellos classicos ita comparatos
essè voluimus, ut Encyclopædia medullam con-

(*) 4

tine-

tineant, sensimq; sine sensu instillent, hos ad ungum Intellectu & Memoriā teneri, Alphabeti instar, curabis.

Accessorium erit Matheseos prægustus,
Arithmeticae præsertim & Musicæ.

Ad has metas si Tu Tirunculos tuos ritè deduxeris, magna Eruditionis colligenda fundamenta solida posueris: quum ad Authorum multam lectionem, rerumq; optimarum multam selectionem, nihil tam conferat, atq; Libros versando Oculis Lingvâ, Manu, Mente, promptum esse. Quod ut studiorum candidatuli nostri assequantur, Tu p̄e aliis sequentium Curiarum Moderatoribus allaborabis: quia Tibi hoc propriè, qui Latina Literaturæ Fundamenta ponis, ut integra ponas & solida, solideq; jucumbit. Ideò ego Te, tanquam totius Architectura nostræ fundatorem, in administrandis hic prudenter omnibus, quam indefatigatissimum esse cupio. Quia n. errores concoctionis prime non emendari in secunda, vel tertia, sed contracta illic Morborum semina per totam Nutrictionis officinam spargi, observant Medici: certumq; est, nec in animis Eruditione saginandis aliter evenire

posse.

posse, quam ut admissa circa prima fundamenta menda mendosam reddant reliquam Structuram, seu ex toto seu ex parte: fieri non poterit quin errant ceteri Collegæ Tui, si Tu Tirones Latinitatis formando aberraveris.

Quæ causa est, cur Te accuratiū instruendū putem: quòd Tu erres minus, & Illi pariter hac, tanquam sibi dicta, in usum suum transferre valeant.

Principio a. illud Quintilianī Tibi refri candi occasio mihi est: Optimus quisque Præceptor frequentiā gaudet, ac maiore se theatro dignum putat. Cur a. hoc? Ut ne trepides, sed exultes, quod Tibi spe amplior contigit Discipulorum numerus: dubioq; procul posthac semper frequentissimam habebis Classem. Sed quantacunq; futura sit, Tu te majore theatro dignum puta. Nam non sperabo Te mihi jam dicturum, quod nuper: Si modò sufficiam? quippe qui Methodi nostra compendia jam spectare, imò exercere feliciter, capisti. Nec Tibi Methodo nostra, maiorem fore à decem Discipulorum Decuriis, quam nuper fuit (vulgarivitâ) à decem Discipulis, molestiam jam vidisti, & expertus es, & experiris quotidianic, & letaris.

(*) 5

& la-

& latantur ipsi Discipuli, sive ait se acci-
cunde ita manuduci videntes. Quod qua-
ratione fiat, nihil jam esset opus doceri Te, qui
se te hoc praxi ostendis: consignari tamen
id non obserit aliorum causa; sive qui Tibi hie
succedent in functione, sive qui alibi metho-
dum hanc imitari forte induixerint animum.

Summa Compendij est, quod non doces
singulos, sed cunctos: nec accidis ad
quenquam ut aliquid ostendas, aut lo-
quaris, & præcipias, admissum vè vitium
emades, soli uni. Sed Solem imita-
tus Cœlestem, contines Te in sublimi
Cathedræ Tuæ Cœlo: inde oculorum
radios obvertens omnibus; & Voce so-
norâ circumtonans omnes; & ut quod
præmonstratur, explicatur, præcipiturq;
omnibus, videant, audiant, precipiantq;
singuli, mox jam ab hoc jam ab illo re-
quirens: ut nemo non statim à se requi-
sum iri, quicquid dicitur aut ostendi-
tur, metuens, in attentione se contineat
semper. Quam Tu ut aquas magis, jubes.
quicunq; pensum præsens toties è Libro itera-
rum, reddere confidit memoriter, ut reddat.
Reddunt igitur feliores ingenio, aliis post

alium:

alium: quos tradidores (ipsam mōrā, & toties
recitantum repetitione adjuti) subsequun-
tur: donec & tardissimi tandem assequantur
omnia. Quam de Ingenij celeritate veluti
concertationem Tu laetus spectans, decujusq;
Ingenij bonitate judicas: certus, quicquid
unus Tuorum scit, non ignorare ceteros; quum
nescire quod sic discitur, possit nemo.

Hæc generaliora sunt, de Methodo
uni formi, Tibi semper observanda, per o-
mnium Præmonstrationem, Explicatio-
nem, Imitationem, quicquid eos doces, aut
docebis unquam. Eo sine, ut nulla hora, ne-
dum dies, abeat, quin novafiat Eruditionis
accessio, novusq; studiis progressus.

Particularius monendus es, de Libelli
Tui Clasici structura, tum usu, quomodo
Tibi practicè pertractandus sit.

Frontem occupat, ut vides, Rerum No-
menclaturæ rudimentum, è Vocabulis to-
tius Lingua primariis, potissimumq; primi-
tivis, contextum: non congeriem, sed or-
dine bis artificio. Nam ad externum aspe-
ctum ordo Grammaticus est: quia Capite (post
Introitum) I. recensentur Nomina rerum
substantiva: secundo Adjectiva, tertio Pro-

nominis

nomina, quarto Verba; quinto Adverbia (Participia, cùm à Verbis tantum formantur, inter primitiva peculiarem habere classem nequeunt) sexto Præpositiones &c. Et tamen ordo hic Ordo simul Rerum est intimus: dum initio enumerantur Res ipsæ: Tum Rerum Modi fundamentales: primaria scil. Rerum accidentia. Mox rerum, & accidentium, commenstrations brevicula: Inde transitur inspectando Rerum Motus, actiones & passiones. Sequuntur earundem Actionum & passionum modi: Et Rerum, Actionumq; Circumstantiarumq;: Tum varia Rerum, Actionum, Circumstantiarumq; cohærentiae. Ita per summos Cardines suos Rerum & Verborum compages resolvitur. Addimur tamen de Verbis derivatis & compositis: ut inter Voces primitivas & ortas discrimen observare, eog; mentem Lingvarum Janua. Vocum apparatum totū explicatura, preparare incipient.

In hac autem initiali Rerum Mundi Instruzione seruum mihi propositum fuit. Paradisiacam tibi aperire Scholam: ubi non aliis Tibi labor esset, quam colludere Tirunculis tuis, sicuti ibi Tironi suo, propomodum adhuc infanti, Adamo, collusit Deus: suas illi recens factas commenstrans vivas imaginulas, earumq; addiscere jubent nomenclaturam. Hoc est, Volui libellum hunc Vestibularum Picturis, rerum formas ad vivum exprimentibus, ornare, suam singulis apponendo Nomenclaturam: tūm ut facilius huc allicerentur puerorum ingenia, tūm ut impressiones rerum primæ fierent

accu-

accuracyores. Sed non succedit propositum (tametsi factum jam esset initium) ob artificum hic loci defectum. Quem defectum ab industria Tua pensari necesse erit: diligentí Vocabulorum omnium explicitatione, Rerumq; quas signiant quali quali representatione. Vitam & animam institutioni Tua defuturam certus esto, nisi Res hic tironibus assignatas, aut commenstraveris (si praesentes haberi possunt, vel saltē imagines earum aliqua) aut circumscribendo sic inculcaveris, ut quoquomodo capiant tandem. Rerum n. & Verborum parallela, articulataq; cognitio, profundum illud Methodi mysterium est, quō vagas naturā suā Mentes captivare. & ad Rerum sensumq; medullas deducere intendimus. Hic ergo ut nobis gnavi sis, intentionibusq; nostris accuracye subservias, velementer Te oro. Capiant quantum capiant de Rebus, quas illis familiariter aut demonstrabis, aut enarrabis, illis tamen intra mentem lucescere inciper, ne dubitas eog; lubentius hanc illis operam, ut è Verborum corticibus excusso Rerum nucleos ostendas, presta.

Quod ut tanto Tibi facilius accidat, eadem Rerum Nomenclatura, Vernaculae accurate facta, Tibi & tuis datur parata, typis quoq; descripta. Et quidem seorsim melioris exercitii, uti patet causæ. Et quidem Latino Vestibulari Textui premissa, ut primo in eam (post hoc tui alloquium) incident Discipuli, occasioq; sit exercitia hac à notis (Vernaculae) incipiendo per nota ad Ignota (Latina) veniendi;

niendi; sed & (quod stratagematis loco habe) totam Rerum lustrationem, nomenclationemq; egregie lingvâ norâ peragendi. Ubi defixam in Resatationem nihil turbabit; neq; Tironum ingenia duplicitucta (cum ignotis Vocabulis. & ignotis Rebus) obycentur.

Absolves igitur Vernaculam banc Rerum Nomenclaturam (prælegendendo, præexplicando, moxq; examinando, & à discipulis idem exigendo) ipse met, intra unum & alterum tertiumve; mensim: sat egregiâ laude & spoliis amplius si omnes Tuos omnia illa promptissimè legere (nam & Vernaculos Lectores promptos requirimus) recteq; intelligere, effeceris. Latinum interpretari Textum (in quem è Vernaculo immediate venientur) non Tuum erit, sed discipulorum; Tu tamen quomodo illi Verba verbis accommodant (respondent enim alter alteri Textus adverbium) attendes, & si quid forte errabunt, revocabus. Illa quippe hic actio, Tibi directio, mandatur.

Pertransito sic iterum (duorum triamve Mensium spatio) Latino Textu, ut Verba & Res intelligent, & memoriâ teneant. venie in Grammaticam Vestibularem: quam sic illis explicabis, ut singulis Capitellis sua adjunges Exercitia. Cujus rei rationem, sicut & Dictionarij praxin, subjectis ibidem brevissimus Hypomnematis docebo. Nunc reliqua officia Tui munia in aphorismos contraham.

I. Libro alio quam Clasico ne utare: neq; Tui,

II. Lectionibus & Exercitiis omnibus semper

ipse

ipse adesto, Tuiq; omnium adfint, semper vides.

III. Omnes ama, omniumq; profectus opta & quere, prosopepsiam ignora: muliō v. magis invidiā. Nihil in his Encyclopediaradimentis scies Tu, quod ignorent Tui. Si n. scierint, Tibi cedet laudi & illis: si nescierint, Tibi dedecori, non illis. Vel unus negligens, & indolitus, reperetus, sufficiens contra diligentiam Tuam erit testis.

IV. Inter operas neminem aliud agere permitte. Utq; ne permittas, oculos & aures semper illis obverte, obvertereq; suos Tibi, & rei qua agitur, adige. Nempe jam hunc jam illum (eos maximè quibus fidis minimè: sunt n. quadam Ingenia vagâ) interrogando, examinando, emendando.

V. Qualiter se quis inter operas gerit, taliter Træ erga illus. Industrios am. & subinde collaudaz: desides increpa, nec tamen odio habes, sed instantiūs urge.

VI. Si quid valde observandum monere habebis, id non nisi imperato silentio efferes, ut attemere excipiatur ab omnibus: mox ab aliquibus, quid dixeris, & quid sensu, reposcens.

VII. Qualibet horâ prælege, quod idem mox legant illi: & explica, quod idem explicit illi: & inspectantibus illis fac, quod idem mox faciant illi. Tibi n. ubiq; prædictio mandatur: sed cum attentione, an Te præcuntem sequantur; & an sic, ut asequantur. Alioqui frustra præbis, si non illi sequantur: frustra sequentur, si non asequantur.

VIII. Asequentur a. si nihil nisi dilucidum, (aut

bene

benè dilucidatum) ad spectandum proposueris; nihil nisi factu proclive, iussoris: progrediari q̄ cum illistente, nec aliter permittas illos. Pracipitatem ubiq̄ dedocenda est Juventus, assuefacienda circumspetionis.

X. Hareniem quemcunq̄ juvet quicunq̄: si nemo. Tu.

X. Si quem tardum vides, tolera, ad ingeniosiores transi, donec & tardior ille asequatur. Pudib; u. tandem non asequutum videri.

XI. Balbutire Latinē si Tui volunt (loqui nō nondum sciunt) ne probibe, sed neq; cōge. Fastidius plerumq; imperata, negata eupimus.

XII. Ad novas lineas nunquam transi, nisi penso priori recte subatto: idq; eō fine, ut ne quid perfundatoriē prioribus adjectum, in ruinam ponatur sequentibus.

Addo: Quia quicquid Tu hoc loco struis, roti Encyclopædia fundamentum dare debet. Tibi totam illam (sicut & sequentibus Collegis Tuis) nostram esse debere: ut quicquid cum Discipulis agitis, lux universalis emicet. Vestrarq; stellulas, sicut Solis radij Planetas suos, collūstret.

Hanc si sequeris rationem, diligentis Magistri explebis numeros, laudemq; mereberis, & ulterioribus Adolescentiolorum studiis consules optimè. Vale.

In VESTIBULUM Linguarum:

L. Invitatio.

Veni puer,

2. Loquar tecum de re necessaria, super omnia;
3. Lóquere: audio.
4. Vis-ne SAPIENS esse?
5. Quid istuc est. Sapiéntem esse?
6. Intelligere omnia; & recte agere omnia; & recte Logi de omnibus.
7. Volo: sed quis dabit hoc mihi?
8. Deus, & conversatio cum Sapiéntibus, vivis & mortuis.
9. Quibus vivis? Praeceptóribus.
10. Et quibus mortuis?
11. Illis qui ante nos vixerunt, & loquuntur nobis cum adhuc in Libris.
12. Satisne id? Satis.
13. Modò Deum ora, Praeceptóripáre, Libros amā.

14. Sed ut intelligas Sapiéntes illos
15. Discē sermonem quō scripsérunt.
16. Nempe Latinam linguam,
17. Quā pulchra est, & communis populis, faciliq; doctos.

18. Quā docēbit me illam?
19. Ego, auxilio Dei:

A
20. Id.

20. Idq; viāfācili, divisa in tres gradus,
 21. In primo ponemus omnia ejus *Fundamenta*:
 22. In secundo erigemus totam necessariam ejus
Strūcturam.
 23. In tertio addemus omnimoda ejus *Ornamenta*.
 24. Illud primum absolvemus in hoc primo
 Libello,
 25. Quem nunc sumis in manum, *VESTIBULUM Lingua* dictum.
 26. Secundum absolvatur proxime sequenti Libro.
 27. appellato *JANUA Lingua*.
 28. Tertium in tertio
 29. Quem vocabimus *ATRIUM Lingua*,
 30. Atq; inde immittam te in *PALATIA Authorum*:
 31. hoc est in Libros scriptos sapienter,
 32. ut ipse quoq; fīssapiens, prudens, eloquens,
 33. Difficultas ne terrēat te;
 34. qui cupit, capit omnis.
 35. Si principium est difficile,
 36. Médium erit facile,
 37. finisq; jucundus.
 38. Qui benè distinguit, benè docet:
 39. & qui benè attendit, benè discit; hoc non fallit.
 40. Eja aggrēdere, in nōmine Dei.

1 I.
Divisio Rérum.

41. OMNIA, ALIQUID, NIHIL, hā-
bent sua Nōmina,

42. omnia

42. omnia sunt: Deus, Mundus, Hōmo.
 43. aliquid est: Res, Mōdus(rei), Mōetus.
 44. in Rébus est: Tōtum, Pars, Defectus.
 45. in motu: Causa, Vis, Instrumentum.
 46. Pars est: Dimidium, Frustum, Mīca.
 47. in Toto est: Princípium, Médium, Finis.
 Ordo, Tempus, Lōcus,
 48. in ordine sunt: Númerus, Mensūra, Pondus.
 49. in Tēmpore: Momēntum, Mōra, Hōra:
 Dies, Septimāna, Mensis;
 Annus, Séculum, Èvum.
 50. in Die est: Máne, Merídes, Véspera:
 Crepúsculum, Nox, Auróra.
 51. in Annos sunt: Ver, Èstas, Autúmnus, Hyems:
 52. in Lōco: Spátiū, Distántia, Términus:
 & quatúor Plagæ mundi.
 53. Rerum origo est: Natūra, Ats, Casus,
 54. Res ipsa est: Corpus, Spiritus, Larva,
 55. in Corpore sunt: Matéria, Forma, Superficies.
 56. Spiritus est: áнима, ángelus, diabolus.
 quorum habitacula sunt: Elementum,
 Cœlum, Orcus,
 57. Elementa sunt: Ignis, Aer, Aqua, Terra.
 58. in aéthere sunt: Sidera.
 in quibus veniunt: Calor & Frigus; Èstus & Gelus.
 59. Sidera sunt: Sol, Lúna, Strella,
 60. in Sóle sunt: Lux, Rádius, Lúmen,
 finelúmine est: Úmbra, Caligo, Ténebrae.
 61. ab Igne vénit: Scintilla, Flamma, Fumus,
 (Fuligo).

A 2
in Ig-

in Igne sunt: Torris, Pruna, Pavilla;
post Igne manet: Titio, Carbo, Cinis.

62. in Aëre est: Ventus, (Eurus, Auster,
Favonius: Boreas.)

Item: Vapor, Nébula, Nubes, Iris.

63. ex Nube veniunt: Pluvia, Nix, Grandio,
Ros, Pruina, Mannæ,
Fulgur, Tonitu, Fulmen.

64. AQUA affuens est: Scatena, Fons,
Rivus, Amnis, Flumen, Torrens.

65. Stans aqua: Palus, Stagnum, Lacus, Mare.

66. in Flumine est: Fluendum, Fundus, Gurges,
aut Vadum.

67. in Mari: Ueda, Fluetus, Abyssus,
aut Insula.

68. ex Aquafit: Gutta, Bulla, Spuma; Glacies.

69. iuxta Aquam: Ora, Rips, Litrus.

70. In TERRA est: Specus,
super Terram: Mons, Vallis, Campus.

71. in Camposunt: Grumus, Tumulus, Collis.

72. Terracum aqua sunt: Uligo, Lacuna,
Limus, Lutum.

Terra sine Aqua: Gleba aut Pulvis.

73. Terra ipsa est: Argillæ, Creta, Rubrica.

74. è Terra veniunt: MINERA, STIRPS, ANIMAL.

75. MINERA est: Succus, Metallum, Lapis.

76. Succus mineralis est: Sal, Alumen, Nitrum;
Sulfur, Vitriolum, Succinum.

77. Metallum est: Plumaum, Stannum, Ferrum,
Æs (vel Cuprum): Aurum,
Argentum, Argentum vivum,

78. Factitia metallasunt: Chalybs, Orichalcum,
Electrum.

79. Lapicest: Aréna, Glárea, Scrupus: Sa-
xum, Silex, Cos.
Marmor, Magnes, Gemma.

80. Gemmasunt: Adamas, Sapphirus, Rubi-
nus, Smaragdus, Jaspis &c.

81. Gemmu similia sunt: Vittum, Crystallum,
Unio (seu Margarita), Corallium.

82. STIRPS, seu Planta est: HERBA,
FRVTEX, ARBOR

Item: Fungus.

83. In Plantasunt: Radix, Truncus, (seu
Stipes) Rami.

84. In Stipite: Cortex, Liber, Medulla.
in Ramo: Frons, Folium, Flos, Fructus.

85. HERBA est: Gramen, Olus, Fruges.

86. Gramen est: Muscus, Urtica, Lappa &c.

87. Olera nobis dant, vel folia: ut Brássica, La-
ética, Nastúrtium &c.

vel fructum: ut Cúcumis, Cucurbita, Melo.

vel séminalia, ut Papáver, Anísum, Cumícum.

vel radicus: ut Rapa, Siser, Ráphanus;

Cepa, Allium, Porrum.

88. Fruges sunt: Legúmina & Frumenta.

89. Legúmen habet: Caulem & Siliquas: ut
sunt Faba, Pisum, Lens, Vicia, Cicer.

90. Frumentum habet Culnum & Spicam, aut
Pannículam.

91. Spicem far est, Tríticum, Siligo, Hor-
deum, Ador &c.

Paniculatum far. Avéna, Mílium, Páni-
cum, Fagopyrum, Oryza.

92. In Spica est; Cránum, Cluma, Arista &
inter frumenta reperiuntur. Zizania,
Lolium &c.

93. FRUTICES terrestres sunt: Córlylus,
Sambucus, Ros, Vitis, Rubus, Sennit:
& insente Spina.

94. Frúices aquátici: Juncus, Scirpus (seu Can-
na) Arundo (seu Cálamus.)

95. Suffrúices vocantur: Carduus, Sálvia, Ruta &c.

96. ARBORES sunt: Tilia, Salix, Alnus:
Fagus, Bétula, Pinus, Abies: quibus stib-
lat Gummi, Resina, Pix. Quercus dat
Clandes.

97. Arborum fructus sunt: Pomum, Nux, Bacca.

98. Poma sunt: Malum, Pirum, Ficus: Pérsicum,
Prunum, Cérasum &c.

99. Nuces sunt: Avellána, Juglans, Caftanç &c.

100. Bacce sunt: Mora, Olivæ, Fraga &c.

101. in Fructu est: Petiolus, Putámen, Pulpus,
Nucleus.

102. Sylvæ est, Nemus, Saltus, Dumus:

103. In ANIMALI est, Vita, Sensus, Mo-
tus: & Sexus.

in Sexu est; Mas & Foemina: & ab his Foetus.

104. Animal est; VERMIS, INSECTVM,

SERPENS, AVIS, PISCIS,
QUADRUPES.

105. VERMIS est: Lumbricus, Hirudo, E-
rúca, Tinea, Terédo &c.

106. INSECTU Mest; Pediculus, Lens, Pla-
lex, Cimex: Formica, Aranea, Tipula,
Scorpio.

107. SERPENTIA sunt: Anguis, Draco,
Lacerta &c.
quahabent Venénum.

108. In AVE est; Penna & Pluma: Ala & Cau-
da: Rostrum & Inglúvies.

Ab Ave, Nidus, Ovum, Pullus.

109. Aves doméstici: Gallus, Gallina, Capo:
Anas, Anser, Olor, Pavo, Columbus.

110. Aves circa domum: Passer, Hirundo, Pica:
Gráculus, Cornix, Cicónia.

111. Campestres aves: Alauda, Coturnix, Perdix:
Tarda, Grus &c.

112. Sylvæstres: Attagen, Phasiánus, Terraq:
Turdus, Sturnus, Mérula: Cúculus Tur-
tur, Upupa.

113. Oscines sunt: Luscina, Carduélis, Lutéola:
Fringilla, Parus &c.

114. Rapaces aves sunt: Aquila, Milvus, Vultur,
Accipiter, Falco, Nisus, Corvus.

115. Aquatice aves: Fulica, Mergus.
circa aquas volantes; Ardea, Gavia, Motacilla.

116. Aves nocturna: Bubo, Ulula, Vesptilio.

117. Infecta alata sunt: Culex, Musca, Apis, Ve-
spa, Crabro. Item Papilio, Bruchus,
Scarabæus, Locusta, Cicada, Gryllus.

118. In PISCÉ sunt: Squama, Pinna, Branchiz.

119. Piscis fluviátilis sunt: Alburnus, Perca,
Lucius

Lucius, Carpio, Anguilla, &c. Marini:
Halec, Balena &c.

120. Piscibus similes sunt; Cancer, Concha, Orea: Cochlea & Limax.

121. QUADRUPES est vel Pecus & Jumentum; vel Fera & Bestia. In quibus sunt Pili, aut Villi, aut Lani, aut Setae: & propter fetus Uterus, Uter, Mammae.

122. Pecora sunt; Vacca, Taurus, Vitulus: Ovis, Aries, Agnus, & Veveyx: Capra, Hirpus, Hædus, & Caper: Sus, Porcus, Verres, & Majalis.

123. Jumenta sunt: Equus, Bos, Asinus: Mulus, Camelus, Elephas.

(in Equo vide Jubam, Penem, Ungulas)

124. Ferae majores, habentes cornua & lustra, sunt; Bubalus, Alces, Cervus, Caprae, &c.

125. Ferae minores, habentes rictus & ungues, & foveas; Vulpes, Lepus, Cuniculus, Simia, Eriaceus, Sciurus, Talpa, Mus.
Et domestica, Canis & Felis.

126. Bestie feroces: Leo, Tigris, Pardus: Ursus, Lupus, Ape.

127. Quádrupes aquáticu[m]: Fiber, & Lutra
item Rana, Testudo.

128. HOMO asate est; Infans, Puer, Adolescentis: Júvenis, Vir, Senex: Puella, Virgo, Mulier, Anus.

129. Membra Corporis sunt: Caput, Truncus, Artus.

130. in

130. in Capite: Vertex, Capilli, (Crines)
in Facie, Frons, Oculi, Natus: Tempora,
Genæ, Aures: Os, Labia, Mentum.

131. in Oculo: Pupilla, Palpebrae, Cilia: supra
oculum Supercilia: ex Hirquis sudans
Lacryæ.

132. in Naso sunt Nares: in Ore Bucca, Palatum, Lingua; Gingiva, Fauz.

133. in Collo, Guttus & Cervix.

134. in corporis Truncosunt, Pectus, Venter,
Tergum, Latera. in Ventre Umbilicus:
in Tergo, Humeri, Dorsum, Lumbi, Natis.

135. Artus sunt, Manus & Pedes.

136. Partes Manus, Crachium, Cubitus, Pugnus: Palma & Vola: Digitæ & Pollex.
sub Brachio vero Axillæ.

137. Digitus habet Articulos, Cónylos, Ungues,

138. Partes Pedis: Coxa & Femur; Genu & Poples: Crus & Sura: Talus & Plantæ.

139. Plantæ rursus habet, Calcaneum, Solum, Dígitos, Hallum.

140. Offa Capitis sunt: Calva, seu Cranium:
Mala, Maxilla, Dentes.

141. Offa Trunci: Sternum, Scapulae, Spina, dorsi, Costæ, Os sacrum.

142. in Offib[us] est Medulla; circa Offa sunt
Membranæ; inter offa Cartilago.

143. Carnosa partes in Corpore sunt: Musculi,
Víscera, Canales.

144. Víscera sunt: in Capite Cérebrum; in pe-
ctus, in ore

13

144. *Etore Cor & Pulmo; in Ventre Ventrículus, Jecur, Fel, Lien, Renes, Vesica.*
145. *Canales sunt: pro halitu, Trachea; pro alimento, Gula, Intestinum: Iliaq; in alvo; pro humorib; Venæ, Arteriæ, Nervi; in quibus sunt, Sanguis, Pituïta, Bilis.*
146. *Alimenti desiderium, dicitur Fames & Siccis; excrementum superflui est, Saliva, Mucus, Sudor; Urina & Stercus.*
-
147. *SENSU percipitur, Color, Sonus, Odor, Sapor: Voluptas aut Dolor; Dum sensu quiescunt, Somnus est, & Somnium.*
-
148. *In MENTE est, Ratio, Voluntas, Animus.*
149. *A Ratione veniunt, Ingénium, Intellectus, Memória.*
150. *A Voluntate sunt Affectus: Amor vel Odium: Gaudium vel Mœror. Spes vel Metus; Favor v. Ira: Zelus v. Fastidium.*
151. *ab Animo est, Fastus, Audácia, Temeritas, Pœnitudo.*
-
152. *Defectus in Corpore sunt; Nevus, Labes, Tuber: Plaga, Vulnus, Ulcus.*
153. *Navi incuta sunt, Lichen, Lentigo, Ruga. Túbera: Verrúca, Struma, Gibbus.*
154. *A Plaga est, Vibex, Livor, Tumor: à Viscere Cruor, Cicatrix.*
155. *In Ulcere est Sánies, Tabum (Pus) Vómica. Parva ulcúsculas sunt, Pústulæ, Pústulæ, Papulæ, Morbilli.*
-
- 156.
156. *Morbis interni sunt, Tuffis, Febris, Calculus, Tabes, Hydrops, Rabies &c.*
157. *Lues contagiosa, Scabies, Lepra, Scorbucus, Pestis &c.*
158. *Monstrum, Gigas, Pumilio &c.*
159. *Rústicus habet Hortos, Agros, Pascua, Praeta, Villam.*
160. *Circa Hortum est, Agger, Planca, Sepes; & in Sepe Pali (sudes) Virgæ. Instrumenta Hortulanæ; Ligo, Pala, Bipalium.*
161. *In Agro est, Arátrum, Sulcus; Ocea: semen, Segetes, Messis: in Messe, Falx, Merges, Merga: post messem, Stípula, Acérvis.*
162. *In Prato crescit, Foenum & Cordum: ad quæ sunt, Secula, Rastrum, Furca.*
163. *In Villa est: Horreum, Stabulum, Pábulum; & in Horreo, Tritor, Palea, Stramen.*
164. *Stabulum est, Equile, Caula, Hara. In Statulo vero, Præsepe, Crates, Litteræ.*
165. *In Corte est, Fimus, Quisquiliæ, Festucæ, Tricæ, Sterquilinium.*
166. *Pastor habet, Gregem: Pedum, Flagrum, Peram. Et accipit à Peccore, Lac, Butyrum, Caseum.*
167. *In Alveari est, Examen Apum, quæ faciunt Favos Mellis, & Ceram.*
-
168. *In Mola est; Farina, Furfur, Saccus. in Pilino, Pila, & Pilum, & hinc Pultes & Alica.*

169. *Apud Pistorium, Cibrum, Macra, Massa;*
Furnus, Panis, Similia (Et in Pans Cru-
sta ac Medulla.)
-
170. *Apud Piscatorem est, Hamus, Esca, Nassa;*
Rete, Sagena.
-
171. *Apud Auncupem, Pertica, Viscus, Fistula,*
Laqueus, Esca, Cavea.
-
172. *Apud Venatorem: Casus, Vari, Venabu-*
lum, Scobs &c.
-
173. *Apud Lanionem: Farcimen, Perna, Lar-*
dum: Arvina, Adeps, Sebum.
-
174. *Apud Coquum: Opionium, Jus, Aromata,*
Aromata sunt; Piper, Ziziber, Crocus,
Saccharum, Acetum.
-
175. *Culinaria supplex: Ahenum, Lebes, Ca-*
tillus, Veru, Craticula, Sartago; Co-
lum, Catinus, Trua.
-
176. *Potus est, Vinum, Cerevisia, Mulsus, Et*
alia Temeta.
-
177. *In Vineae est: Vitis, Palms, Pamphus: Pa-*
stinum, Tocular.
-
178. *Ex Uvus fit Mustum; ex acinis Lora; è Fe-*
ce Vinum crematum; è Polenta & Lupu-
lo Cervisia.
-
179. *Amictus antiquorum fuit: Cucillus, Brac-*
ca, Carbicus.
-
180. *Nunc tegumentum Capitis est; Pileus, Mi-*
tra, Vitta &c. Corporis; Indusium, Ca-
lige, Thorax vel Tunica; Toga vel Pal-
lium, ans Palla. Pedum, Calcei vel O-
crezi.

181.

181. *in Thoraco sunt; Manicae, Lacinae: Unci-*
nuli & Fibulae; aut Noduli; Ligulae,
Fasciae.

-
182. *Apud Netricem sunt: Linum vel Cannabi-*
s; Stupa & Flocci. Item Colus & Fu-
sus; Filum & Glomus.

-
183. *Ad Textorem defertur Tela: à Textore*
refertur Linteum: ex quo sunt Inte-
la, Collaria, Muccina.

-
184. *Apud Sartorem, Pannus, Forfex, Acus,*
Digitale, In Veste est, Sutura, Limbus,
aut Lemniscus; Fimbria & Gravum;
Plica & Sinus.

-
185. *Apud Sutorum: Cōrium, Subula, Acia;*
Modus. Apud pellionem; Pellis, &
Pellicum.

-
186. *Habitacula olim: Spelunca, Tabernacu-*
lum, Tugurium. Postea: Casa, Domus,
Palatium.

-
187. *Apud Fabrum lignarium: Securis, Ascis,*
Terebra, & Serra; Ligum, Tignum,
Alteres: & ex ligno Assulæ, Scobs; in
ligno autem Foramen.

-
188. *Apud Lapidarium: Amulis, Régula, Nor-*
ma; Circius, Culum, Tudes. Apud
Murarium, Láceres, Calx, Murus.

-
189. *In Edificio est, Fundamentum, Paries, Te-*
ctum; Clavi & Copulae; Columnæ & Pi-
lae: quæ siadunt, Rudus est.

-
190. *In Jannas, Postes, Limen, Superliminare.*

191.

191. In Fóribus: Cárdines, Pésfulus, Obex: Ca-
 téna, Sera, Clavis.
 192. In Fenestra: Cancelli, vel Clathrus. in
 Tecto: Tégula, vel Scándulæ v. Culmen.
 193. In Conclávi: Pavimentum & Láquear: in
 Láquear, Trabes aut Fornix.
 194. Partes Domús sunt: Area, Atrium, Hypo-
 caustum; Cámera, Culina, Penuarium;
 Fornax, Focus, Caminus: Pódium, Pé-
 gula, Turris: Gradus, aut Scalæ.
 195. Apud Figulum est; Olla, Urceus, aliaq;
 Vasa cum Ansis: & ex his frætis, Testa.
 196. Apud Fabrum Ferrarium sunt, Follis,
 Forceps, Malleus, Incus, Scoria: Lámia-
 na, Bractea, Lima.
 197. Apud Aurifabrum: Annulus, Torques,
 Ciméllum.
 198. Apud Scriniarium: Dolábra, Glütinum,
 Vernix: Arca, Cista, Scrinum.
 199. Apud Vietorem: Tinæ & Dolia. In Dolio
 autem Fundus, Secamenta, Círculi. Ap-
 pud Restionem: Funis, Restis.
 200. Apud Viatorem: Pénula, Báculus, Sárcina:
 Bulga, Cruména, Marsupium. Ante illu-
 lum est Iter, Via vel Semita: aut sal-
 tem Orbita vel Vestigium. Circa illum
 Comes aut Prædo, aut Scándalum. Pro
 illo Diversorium (sea Caupóna) ubi ve-
 nit Hospes ad hóspitem.
 201. Apud Equitem est, Frenum, Habéna, Ca-
 pistrum;

- pistrum: Ephippium, Stapes, Calcária.
 Interdum etiam Strágula vel Gausape,
 & Vídulus.
 202. Apud Aurigam est: Traha vel Currus;
 Vannus & Strigilis, Lorum & Flagellum.
 203. In Currus sunt, Temo, Jugum, Axes, Rotæ:
 in Rota, Modiólus, Radii, Orbile.
 204. Currus est, vel Carrus, vel Plaustrum, vel
 Rheda, vel Carpentum.
 205. Super Aquam est, Pons, Pontículus, Pon-
 to: Ratis, Scapha, Navis.
 206. Partes Navis: Prora & Puppis, Carína &
 Stega, Velum & Remus (ant Contus) &
 Gubernáculum.
 207. In Navi sunt, Nautæ: Sentína, & Nauseæ
 Navis quiescit in Portu; aut in Statione,
 super Anchora.
 208. Apud Mechanicum est; Moles & Máchina.
 Máchina est, Vectis, Cuneus, Fistúca,
 Prelum.
 209. Apud Rájulum, Árumna, Pabo, Palangæ.
 210. In Balneo, Labrum, Lixivium, Sapo; Spon-
 gia, Peñen, Novacula, Forpex; quibus
 paratur Coma.
 211. Promólli Cubátus sunt, Sponda, Lectus, Cu-
 nz: Pulvinar, Lodix, Teges. pro Sesio-
 ne, Scamnum, Sedile, Cúlcitra.
 212. Cupédia sunt: Placenta, Libum, Spira.
 213. Olfactum oblectant, Thus, Melchus, Un-
 guentum, Sertum &c.
 214.

314. Auditum afficit Tonus: quem facit pulsando Tympanum, & Campána; inflando Tibia, Tuba, Buccina; chordu sonando, Cithara, Testudo, Fides.
315. Apud Pictorem est, Pigmentum, Penicillus, Imágó.
-
316. In Círculo est, Centrum & Circumferentia: sicut & in Orbe, & Globo.
317. Mensura spatij sunt: Palmus, Spithamea, Ulna: Pissus, Orgya, Péttica: Stádium, Milliare &c.
318. Mensura aridórum sunt: Modius, Medianus &c. liquidorum vero Congius, Una, Culeus.
319. Mensura gravium super Libra; Drachma, Semuncia, Uncia, As (Pondo) Centenarius.
-
320. Mensura temporis, Horologium.
-
321. In Libro est: Pergamen vel Papyrus. Partes Papyri Plágula, Scapus, Volumen.
322. Partes Libri; Folia, Páginae, Márgenes; Partes Scriptura; Versus, Verbum, Literæ; Partes Literæ; Punctum, Linca, Apex.
323. Apud Scribam est. Stylus aut Penna; Scalpellum & Lineale. In Penna, Caulis & Crena.
-
324. In Schola est pro Doctore, Cátedra; pro Discípulo Subsellium: & Tabula, vel Pugillates &c.

225.

225. In Disciplina sunt: Exemplum, Præceptum; Imitatio; Mendum, Correptio, Correctione; Diligentia, Negligentia, Férule.

226. In Societate doméstica sunt, Dóminus & Servus; Dómina & Ancilla. Herus & Fámulus, aut Inquilinus. Operárius: Vi-etus, Merces.

227. Familia initium fáciunt, Sponsus & Sponsa: Dos & Nuptiæ, Maritus & Uxor, Conjuges.

228. In familia sunt, Parentes & Liberi; Fratres & Sorores. Unde se propagat Genus & Natio.

229. In Cognitione sunt, Pater & Mater; Filius & Filia. Avus & ávia, Nepos & Neptis; Pátruus & Amita: Avúnculus & Matér-tera.

230. In Affinitate sunt, Vítricus & Privignus; Noverca & Privigna: Socer & Gener; Socrus & Nurus.

231. Post mortem manent; Víduus aut Vídua, & órphanus heres; Tutor & Pupillus.

232. In Societate Politica est, Cohabitatio, Negotiatio, Régimen.

233. Cohabitatio multorum est, Pagus, Oppidum, Urbs: Dicio, Regio, Regnum, & Límites: Patria & Mores.

234. Circa Urbem, Moenia, Vallum, Fossa, Portæ.

235. In Urbe, Āedes, Platea (Vicus) Forum; Curia, Arx, Castrum.

B

236

236. In Platea, Puteus: & ad Puteum Crepido,
 Tolleno, Sítula, Alveus.
 237. In Pharmacopæo; Mortarium & Pistillum;
 Pyxis, Capsa, Corbis.
 238. In quolibet Negócio est, Scopus, Média,
 Occasio: Author, Adjutor, Impedimen-
 tum.
 239. Apud Mercatórem reperitur. Merx, Pré-
 tium, Pecúnia: Nummus, Obulus, De-
 nárius: Nundinæ, Lucrum, Damnum:
 Astus, Dolus, Fraus.
 240. Apud Creditórem, Sygrapha, Pignus;
 Fœnus.
 241. Apud Divitiam, Opes, Thesuri, Luxus:
 apud Mendicium, Márta, Cento.
 242. In Ludo est, Jocus, Alea, Tésserae, Lucta,
 Certamen, Tálitrum, Alapa.
 243. In Theátro spectatur, Scena, Histrio: Co-
 mœdia vel Tragoedia.
 244. Epulum est, Jenáculum, Prandum, Meren-
 da, Coena.
 245. In Cenáculo, Mensa, Mantile, Flabellum:
 Gutturium, Pelvis.
 246. Super Mensam; Tapas, Mappa, Salinum;
 Pátinæ, Disci, Cochlearia.
 247. In Pátinis, Júsculum, Pulmentum, Offa,
 aliq. Cibi, & Dapes.
 248. Super Abaco, Cátharus, Obba, Pócula,
 Páteræ: quibus adstat Pincerna.
 249. Noctuserviant, Tæda, Lampas, Candela,
 Fax.

250

250. In Regimine sunt, Magistratus & Súbditi;
 Jus & Lex; Munus & Officium; Crimen
 & Judicium.
 251. Magistratus in Civitate sunt, Senátor, Con-
 sul, Prætor.
 252. In Regno; Rex, Cæsar, Princeps, (aliquan-
 do Tyrannus.) Aquibus creantur, Co-
 mes, Baro, Eques: ordinanturq. Cen-
 sus, Tributa, Telenia, aut Privilégia.
 253. Regisunt: Solium, Sceptrum, Corona;
 Monéta, Fiscus, Gaza: Consiliárii, Le-
 gáti, Intérpretes, & Satéllites.
 254. In Aula versantur, Adulátor, Mório,
 Scurra: & ab his Calumniæ, Cavilla,
 Sannæ.
 255. Súbditi sunt, Próceres, Pópulus, Plebs, (sæc
 Vulgus.)
 256. Pópulus dividitur in Tribus, & Classes;
 Plebs in Cives, Opifices, Mercenários.
 257. Crimen est, Culpa, aut Scelus, vel Flagiti-
 um: & ob id Lis, & Dica.
 258. In Judicio se fíunt, Actor, Reus, Judex:
 Testis, Advocátus, Vas:
 259. In Júdicio potestate est, Præmium & Poena;
 Multa v. Supplicium, aut Vénia.
 260. Supplicium est, Exilium, Carcer, Nex.
 261. in Cárcere, Compes, Cippus, Squalor.
 262. ad Necem sunt, Gladius, Crux, (nunc Pa-
 titulum) Rogus.
 263. Exsequóres; Lictor, Carnifex. in quo-

32

rum

rum potestatem datur Fur, Latro, Magus, Saga, Mératrix: aliquando & Martyr.

264. *Ab uno vel malo Regimine prodit, Concordia v. Discórdia, Pax v. Bellum.*
265. *In Concordia est, Fœdus, inter Socios & Amicos. Item Auxilium, Solatium, Honor: Dona, Münera; Gratia.*
266. *in Discórdia. Hostis, Miœ, Rixæ (Jurgia) Contumelia; Sedicio, Pernicies, Calamitas.*
267. *in Pace. Quies, Securitas, Ubertas. in Bello, Tumultus, Periculum, Penuria.*
268. *ad Bellum requiruntur, Arma, Stips, Commeatus, Exercitus.*
269. *Arma sunt vel defensiva; Cassis, Loricae, Scutum, seu Clypeus.*
270. *vel offensiva: éminus, Funda, Arcus, Balista, Sagitta, Telum, Jäculum: nunc Bombarda, Sclopétum, Tormentum.*
271. *offensiva cōminis, Hasta, Lácea, Bipennis, Ensis, Acinaces, Frámea; Sica & Pugio, Cæstus, Clava, Cala.*
272. *in Gladio est Capulüs, Aciess, Cuspis, seu Mūcro: ad Gladium Vagina & Bálteus.*
273. *In Exercitu sunt, Légio, Turma, Miles, Tiro. in Castris, Teutória, Custos, Vigiles: Induciae aut Iosidiae.*
275. *in Pralio, Signum & Téssera, Clamor & Pugna: tum Fuga, Clades, Victoria.*

276.

276. *post Victoriā; Spolium & Præda, Tropheum & Triumphus. Rumor & Fama Tabellarius cum Epistola; vel Nuncius cum Nuncio. Historia v. Fábula.*

277. *Sic in Hominum vita est, Labor aut Otium; Virtus a. Viciū; Decus a. Dédecus & hinc Laus v. Probrum; Glória v. Ignomina.*

278. *in RELIGIONE est, Numen, Cultus, Devotio; Ceremonia, Ritus, Hypocrisia.*

279. *in vera Religione, Fides, Cháritas, Spes. Jejúnium, Preces, Elçemólysa, Ecclésia, Concílium, Mystérium.*

280. *In falsa Religione, Idólum, Delúbrum, (Fatum) Superstítio: Hæresis, Secta.*

281. *in Templo, Ara, Sacérdos, Sacrificium, Pulpitum, Concio, Pluteus, Cantores &c.*

282. *in Providentia Dei est, Fatum, Sors, Fors (Fortuna): Miraculum, Prodigiū, Om̄en. Vates, Augur: rerumq; Vices.*

283. *Directores omnium sunt, Christus, aut Satan.*

284. *Finis omnium, Salus aut Intéritus: Paradísus aut Gehenna.*

III.

Modi Rérum.

285. *O M N I A sunt, Similia vel Dissimilia. Quod videbis si consideres Binas res oppositiæ, aut Ternas ordinatim.*

B 3

286.

286. *ALIQUID* est Hoc vel Illud, aut aliud,
 Idem vel diversum, a contrarium.
 287. *Nihil*, est nulliusmodi.
 288. *DEUS* est aeternus; *Mundus* temporarius;
 Homo nunc mortalis, post immortalis.
 289. *RES* qualis est? *Talis*. Uniformis vel *Varia*;
 Pulchra v. *turpis*; *Utilis* v. *noxia*;
 Tota v. *semis*.
 290. *Modus* est. *Aptus* (*idoneus*) vel *ineptus*.
 291. *Motus*, *Celer* (*seu Velox*) vel *Tardus*.
 292. *Totum* est, *Integrum* aut *lacrum*, vel
 mutilum.
 293. *Pars* est *Magna* vel *parva*.
 294. *Defectus*, *Exterus* vel *internus*.
 295. ab *Ordinibus* *Quota* est? *Prima*, *Média*,
 última.
 296. *Tempus* est. *Præteritum* *præiens*, *futurum*.
 Res à tempore, *Nova* aut *Vetus*; *Nupera* vel *prisca*.
 297. *Locus* est, *Amplus* vel *arcutus*; *Vacuus* vel *refertus*;
 Sacer vel *profanus*. *Res à loco*,
 Vicina aut *remota*.
 298. *Numerus* est, *Par*-*impar*. *Res à numero*,
 Multæ vel *paucæ*; *Crebræ* (*seu frequentes*) aut *Raræ*.
 299. *Quot* sunt? *Tot.* si *Unus*, erit *Solus* vel *socius*:
 si *Duo*, *Uter*? *Ambo* vel *alter*.
 300. Si aliqui, erunt *Tres* v. *quatuor*, v. *quinque*,
 six, *septem*, *octo*, *novem*, *decem*. *Vi-*
 ginti, *Triginta*, &c. *Centum*, *Mille*.

301. *Mensura* est *Æqualis* v. *inæqualis*. *Res à Mensura* *Quanta*? *Tanta*. *Longa* vel *brevis*; *Lata* vel *angusta*; *Crassa* vel *tenuis*; *Ingens* aut *exilis*.
 302. *Pondus* est *Grave* aut *leve*.
 303. *Spiritus* est. *Bonus* aut *malus*: *anima*, *Pia* vel *impia*.
 304. *Corpus* est, *Grande* vel *minutum*: *Asperum* aut *laxe*. *Vitrum* est *Pellucidum*, *lignum* *opacum*.
 305. *Forma* est, *Venusta* aut *foeda*.
 306. *Figura*, *Rotunda* vel *quadrata*. *Linea* *Re-*
 cta *vel curva*.
 307. *Statura* *hominis* est. *Alta* vel *humilis*. *Ho-*
 mo à statura, *immans* aut *nanus*.
 308. *Situs rei* est, *Còmmodus* vel *incòmmodus*.
 Res à situ, *Dextra* vel *sinistra* (*læva*):
 Prona vel *supina*.
 309. *Dies* est, *Festus* vel *profestus*.
 310. *Sole* est, *Clarus* vel *obscurus*: *Luna Plena* vel *dimidia*: *Stella*, *Fixa* vel *vaga*.
 311. *Cælum* est *Sudum* vel *udum*. *Aer*, *Serenus* vel *nubilus*. *Aqua*, *Limpida* vel *turbida*: *cálida* vel *frígora*, aut *tépida*.
 312. *Pluvia* est *Rara* vel *densa* (*spissa*): *Flumen*, *Profundum* vel *breve*.
 313. *Terra* est, *Sicca* vel *humida*; aut *saltem* *má-*
 dida. *Gleba*, *Dura* vel *mollis*. *Ager*, *U-*
 ber vel *stérilis*. *Regio*, *Planæ* v. *montes*.
 314. *Metallum* est, *Purum* (*putum*) v. *impurum*.

" Régi nyomtatványok, Lócsae, evang.:"
 /314. ig.j./

315. *PLANTA* est, Ténera vel robusta;
 Víridis vel árida.
 316. *Caulis*, sólidus v. cavus. Firmus a. débilis.
 317. *Arbor* est, Húmílis vel procéra. *Lignum* e-
 jus, Fragile aut lentum.
 318. *Fructus* est, Præcox aut serotinus: Matúrus
 aut immaturus: Recens aut victus: Frá-
 cidus aut putris. *Nux*, Plena vel inánis
 (*sem cassi*).
 319. *Vinum* est, Merum vel dilúcum: Hornum
 vel annótinum. *Mel* sincérum vel mi-
 scellum.
 320. *ANIMAL* est, Brutum vel rationale.
 Brutum, Cicur aut ferum; Opínum,
 aut Vescum.
 321. *HOMO* est, Vivus aut mórtuus. *Vivus*,
 sanus aut æger. *Sanus*, Pinguis aut ma-
 cer, Júvenis aut Vétulus.
 322. *Persona* est, Formósa vel deformis: Nóbilis
 vel ignóbilis: pública vel priváta.
 323. *Infans*, Nudus aut vestitus. *Júvenis*, Ado-
 lescens vel adultus. *Vir*, Cœlebs aut
 conjugátus, vel viduus.
 324. *Parentes* sunt, Liberi vel servi; Dívites vel
 paúperes.
 325. *Liberi* sunt, Genuíni vel spuri: Supérsti-
 tes vel defuncti.
 326. *Frater* est, Germánus vel uteríus: nascun-
 turq; Singuli vel gemini.
 327. *Cutis* hóminis est, Glabra vel hirsúta. Ca-

put

- put Calvum vel criníum. Crines, críspi
 vel rufi, aut cani.
 328. *Facies* est, Nota vel ignóta: Hílaris vel moe-
 sta; propter res Lætas vel tristes.
 329. *Vulnus*, Blandus vel torvus (trux); comis
 vel térricus. *Frons*, Plana vel rugósa.
 330. *Oculus*, Videos aut cæcūs, aut luscus: Lip-
 pus aut limus.
 331. *Auris*, Audiens vel surda. *Nasus*, Simus
 vel uncus.
 332. *Venter*, Gracilis vel obésus. *Ventriculus*,
 Avidus vel segnis: Satur vel jejúnus.
 333. *Manus*, Agilis vel trémula. *Homo à manu*
 Mancus vel ancus, aut scævus.
 334. *Pes* est, Valgus aut varus. *Sura*, Carnosa a.
 pétila. *Homo à pede*, Claudus a. luxus.
 335. *Vox* est, Sonóra vel rauca. *Homo à voce*, Vo-
 cális aut mutus; Balbus aut blæsus.
 336. *Odor* in *Naribus* est, Suavis aut teter.
 337. *Sapor* in *Ore*, Dulcis vel amárus; Acidus
 vel acer; Acerbus vel austérus; Salsus
 vel insulsus.
 338. *Color* in *óculis* est, Albus vel niger (ater) &
 pullus, Flavus (luteus) v. cæruleus: Ru-
 ber vel víridis.
 339. *Ingénium* hóminis est, Acútum vel hebes.
 Homo ab Ingénio, Bardus aut dócilis. Ru-
 dis vel eruditus; Stultus vel sápiens;
 Vafer vel fatuus.
 340. *Animus* hóminis, Secúrus vel solícitus: Ti-
 midus vel audax; Demissus vel superbus.

B 5

341.

341. *Opinio* est. Certa vel dubia: Vera vel falsa,
Conſilium, Arcanum vel manifestum..
Spes, Rata vel vana (irrita.)
 342. *Voluntas* est. Spontanea vel invita; Conſans
 vel ambigua: Volens Fas aut nefas.
 343. *Affectus* est. Lenis aut vehementis. *Homo ab affectu*. Benignus aut malignus: Misericors aut crudelis.
 344. *Mores* sunt. Probi aut pravi (perperi);
 Modesti aut protervi; Mundi aut spurci.
 345. *Homo a Móribus* est. Mansuetus vel ferox.
 Morigerus vel Cónsumax. Castus v. Laſcivus. Sanctus vel pollucus. Frugis vel nequam.
 346. *Sermo* est. Solitarius vel mütus: Honestus
 vel obſcenus: Jocosus vel serius.
 347. *Homo sermone* est. Facundus aut hæſitans:
 Lépidus aut futilis.
 348. *Homo viribus* est. Fortis aut débilis; Végerus
 aut languardus.
 349. *Labor* est. Fácilis aut difficultis. Operarius, Gnavus vel ignavus: Strénuus vel Remissus.
 350. *Opus* est. Paratum vel Imperatum.. Perfectum vel Imperfectum. Eximum aut Vulgare.
 351. *Via*, Scabra vel Lúbrica: Tuta vel periculosa: Amoena vel inamoena.
 352. *Cursor*, Alacer aut Piger, vel à via fessus
 (ſen lassus). Miles, Saucius vel Sospes.

353.

353. *Scholasticus* est. Diligens (ſedulus) aut négligens: Dignus (præmio) vel Indignus.
 354. *Homo homini* est. Charus vel Invitus.
 355. *Servus Dómino* Fidus vel infidus. Dóminus rursum Clemens aut Sævus: Placidus aut Sevérus: Mitis aut atrox (durus).
 356. *Hospes actívus*, Huinánus vel Morósus: Hospes paſſivus, Gratus vel ingratus; Jucundus aut molestus.
 357. *Convivium* est. Largum aut Exiguum, Cibi, crudi vel cocti; Elixí vel allí; Toſti vel frixi. Conviva, Sobrius vel ébrius.
 358. *Vestis* est. Laxa vel ſtricta: Decóra vel indecóra.
